S.D. Lras vestras unà cum candelis & alijs 21. Febr. accepimus. Nunc
aut cum forte, non tn certò intelligam: quod tuum aliquis Scaphusianus
nos transeundo Scaphusium sit profecturus: ad eas aliquid, per hunc respon-
debo: per quem et à nobis nos recepturos esse literas speramus. Scire aut
cupis: quomodo inter nos convictores, & ipsum quoq hospitem de pretio Musaei
& cubilis transactum sit: de pretio n. pro victu alias tibi cognitum est.
Sed inter hospitem & nos ita constitutum est: ut pro Musaeo 8 fl, pro
altero ~~[illegible]~~ lecto in quo duo, ego scilicet & Frygius cubamus, ~~pro~~ flore-
ni quinq, pro altero aut, quo convictor noster utitur floreni 4 persolvendi
sint: quod aliàs plurimum, nob. cum alijs multis commune est. Moris aut ee
non videtur, ut qui unà vivunt & cubant, aequaliter quoq ut pro Musaeo,
ita ~~pro~~ quoq pro lectis persolvant. Itaq nobis de eo inter convictorem,
(qui uno in lecto solus cubat) convenire nondum licuit. Ipse n. statuit, se
communiter nobiscum in Musaeo vivere: cessisse et nobis e suo lecto in dete-
riorem & angustiorem: videri ergo aequum, ut nos omnes (etsi ipse solus
cubat) pretium pro lectis, quemadmodum et pro Musaeo aequaliter persolvamus. Et
certum aliàs est: lectum quem nunc pro nostro occupat tam angustum esse
ut duo in eo dormire nequeant: nihilominus tn et minoris tractatur.
Sed quia prius pretium, quod nobis, mihi & Frygio de nostro lecto conveniret,
non usq adeò à priore differt: fieri posset, si nolit deinceps id facere, ut
ipsi hac in parte (quod tn non debemus) consentiremus. Et sic pro Musaeo
& lectis duobus, respectu anni toti, à quovis floreni 5. & batzij 10 persol-
vendi essent. Hoc aut quicquid est, sub te iudice relinquimus. Sperabamus
mus nos, quod per Aurigae Reutlingensis filium, ut scribis, & lras &
supellectilem nostram essemus accepturi. Sed neutrum cuius incuria nescio,
factum est. Neq n. hactenus per hunc, neq per alium quicq accepimus.
Caeterum de ea sic constat: quod Campo ille Rotwylanus, apud quem
est, per nuncium ad nos missum significavit: se de eo ad nos mittendo,
plane dubium & solicitum esse. Cupere aut se quamprimum scire: utrum vel
Reutlingam, vel Rotenburgum mittere debeat: quod singulis septimanis possit.
Sic quoq per Aurigam Reutlingensem certiores facti sumus: quod fere
singulis septimanis Rotwyla ad se, & inde ad nos commodi ~~[illegible]~~ trans-
vehi possit nostra supellex: modo se expectare quid nos velimus. Cum q
careamus aegrè hac nostra supellectile, non tm propter libros, sed et propter vestes: (cum
simul et vectura q Rotwyla Tubingam venire solet, carissima sit:
ideò proximè Reutlingam nos contulimus: remq ipsam Aurigae commendavimus,
qui nob. promisit, se fideliter omnia administraturum. Si vero ante Pascha

258

nemo Rotwylam ex Reutlingensibus proficiscatur propter illam tempestatem:
~~curaturum~~ curaturum se promisit: ut statim post Pascha per suum servum
qui eo profecturus sit, ad nos transvehatur. Interea vero quid per Tossa-
num & Frysium de Neostadio respondeatur, avide expectamus. Certum est
autem: quod multi profitentur, pestem non modo Argentinam, sed et Neostadi-
um penitus deseruisse. Quapropter nos deinceps eo proficisci omnino cogitare & velle
scias. Quod ut intelligas rectius, quaeso te ut diligenter me audias.
Et quidem ut sic cogitemus id moneat: quod non ideo Tubingam
venimus: ut ibi diutius subsisteremus, quam ut intelligeremus, rem sese Neo-
stadii tantum melius: ubi non modo pretio bis tolerabiliore, verum et cum studio-
rum nostrorumque maiore comoditate versari possimus. Ac certissimum profecto est
(quod tempore maturo moneo & profiteor) nos, si diutius hic subsistere cogamur,
sumptus multo hactenus maiores, & pene incredibiles facere oportere.
Resciis enim quot occasiones & illecebrae ad iniquitates occurrant: quae
prorsus (nisi quis a caeteris rudis & rusticus homo videri velit) devitari
nequeunt. Nam ut caetera quae extra mensam contingunt taceam: unicum
saltem hoc adduco, quod in ipsa mensa fieri solet. Ibi pro constituto
apponitur 4 pars mensurae: qua nullus inter convictores ordinariis diebus
contentus esse potest. Inde fit ut propinent: adducant hospites, quibus similiter
propinandum: singulis autem quibus propinatur infundendum est. quicquid vero
annotatur extra potum constitutum, id caro pretio persolvendum est.
Nam mensura vini 4, & 5 cruciferis venditur. Haec certe aliquan-
diu collecta, extra constitutum precium victus pretium, non leves sumptus faci-
unt: qui sane nobis aut sustinendi erunt necessario: aut locus erit mutandus.

Quod negare tamen noluit [illegible]

Haec omnia tempestive & fideliter tibi explico, ut me tuves, & liberes
ab istis sumptibus: qui certe mihi non sunt accepti, sed maxime onerosi
& impatientes. Nunc autem quam bene, non tantum pro victu, sed et pro studiis
Neostadii versari pro eo liceret? Sunt apud nos multi, et ex multis tamen
doctissimus, nec contemnendus Bohemus: qui illius loci comoditatem satis
comendare non potest. Saepe enim in ore habet: se hunc praeferre locum respectu studii
theologici, & victus tolerabilis omnibus Academijs, quascunque viderit. Dicit
ibi neminem, quamquam splendide viventem, ultra 40 fl. consumere. Neque solum
ibi floret Theologia: sed philosophia satis mediocriter: & Ebreae linguae studium
non minus quam Theologicum. Habet enim professorem Ebraeum Franciscum Juni-
um qui socius fuit Tremellii in Biblijs vertendis. Atque sane propter devitandos
sumptus multo foret satius non multum post Pascha, sive ad summum post 3
septimanas hanc profectionem aggredi, quam diutius suspendere. Non

hũc missi sumus ideò, ut hic subsistamus. Et quamquam sumptus et eiusmodi profectio-
nes requirunt: tamen neque semper ~~sem~~ hicce Tubingæ vivemus: neque et (nisi ibi semper
cum maioribus versari liceat) has tandem profectiones & sumptus suo tempore devi-
tare possumus. Immò citò admissæ futuros sumptus Tubingæ expedient. & fructu
[margin: + alias] in itinere satis largiter Neostadij compensabunt. Equidem (quod Frisius quoque
mecum sentit, & sentire propter sumptus non sustinendos cogitur) nullum tempus aptius
eligerem. Nobis quoque hoc tempore adiungere sese vellet Marcus Beumlerus:
quem ego iuvenem doctissimum iudico: & haud parum in nobis erudiendis profutu-
rum: ad quod et sua sponte sese nobis offert. Post Pascha et commodè Spiram
nostra suppellex + Aurigam quendam vehi posset: qui eò Tubinga vacuus est
rediturus: postquam Gruppenbachio Typographo libros ex Francofurto adduxit.
Sed si neque per hunc id fieret: singulis septimanis Pforzam, eodemque modo
inde Spiram, indeque singulis horis Neostadium vehi posse certo intelligimus.
Quare te ardenter rogo, ut nobis adsis. Ego quoque cras ea de re ad Stiebli-
num scribam: qui mihi statum scholæ Neostadiensis aperuit. Certè ego nullo
affectu, aut ab alijs persuasus sic sentio: sed propter causas quas supra recitavi graviores.
Mitto nunc ad te scriptum Iacobi Andreæ & Gerlachij contra Danæum. Paucis
[margin: hisce] diebus, & Beumlerus Tigurinus ~~[illegible]~~ nobiscum cum illo: (quia singuli in hanc
Academiam venientes coram ipso se sistere debent) qui confessionem nostram
à nobis audire desiderauit: id quod sibi inimicum esse causatus est, à suo
Principe. Edita igitur confessione nostra: duas horas ferè eam oppugnavit: incipi-
ens à blasphema (uti vocat) opinione Danæi de Christi hominis adoratione. Ubi quidem
nobis sic persuasit: ut Danæum ~~[illegible]~~ haud rectè sentire iudicaremus: scilicet si
res ita sese habeat, ut dixit. Dicit enim Danæum nullam prorsus admittere adorationem
[margin: + quid negare tamen videtur Danæus] quâ Christus, homo verus, et in unione hypostatica, neque per se, neque καθ' ἄλλο respectu
divinitatis & unionis, sit adorabilis: qua in parte Danæo ab isto Vulcano fieri
iniuriam censemus. In cæteris autem visus est calidum & frigidum uno spiritu
efflare posse. Novi nihil habeo: nisi quod certò ad nos perferunt Spirâ:
Cardinalem, quem Pontifex cum aliquot centum comitibus (gefolen) Coloniam, initian-
dum Episcopum pro priore miserat, repulsum à Casimiro: ipsius Comites, 4 exceptis,
omnes interfectos: & maximam vim auri, tunnas scilicet 6 ereptam. Ipsum vero
Cardinalem Spiram effugisse ex certamine: indeque per comitatum imperialem
ad suum pontificem esse rediturum. Hæc attulisse pro certo ferunt quendam
legatum publicum Spirensem, qui sanctè ista confirmet. Osiander quoque cum
aliquot, quibus officia Eucharistica Coloniæ impetrare volebat, ante mensem nunquam
admissus, nihilque impetrans quod voto suo responderet tristis & clam domum reversus
est. Ad me mittas velim Curij autographum, quo summam debiti
confirmat. Constitui namque (te consentiente) debitum in ferijs Paschalib. ab ipso
poscere: & simul Ulmam videre: quam alias Tubingâ brevi tempore possem adire.

Haec volui ad te scribere copiosius: unum hoc addendum, faciet ut viaticum
nobis antea constitutum, ~~[illegible]~~ tandem impetretur. cui forsitan Grube-
linus angariam illam addet, quae nondum completa est; si locum essemus mu-
tuum. Etsi namque hoc stipendium, quod assumpsi nondum consumpsi, nec Tubingae
consumere statuo: tamen nescimus quando ad nos illud stipendium mitti possit
commodius. Vale in Domino feliciter: & matrem, fratres, sorores, meis verbis familiares
saluta. Scripsi festinanter 18 Martij, Tubingae Anno 1583.

Filius tuus Ioh. Ulmerus

Eximiae Pietatis et Eruditionis Viro
D. Ioh. Conrado Ulmero, Ecclesiae
Scaphusianae pastori, parenti
suo pientissimo colendo.

Acc: 21. Martij Schaffhusen.
1583.